

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Terentius,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope  
innumerabilibus|| emendatus.||**

**Terentius Afer, Publius**

**Venetiis, 1558 [erschieden] 1559**

Scena IIII.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-723936)

Amici nostri, quid futurum est? Ch. recte. De. hanc igitur mittimus?

Ch. Quid ni? De. illa maneat? Ch. sic. De. ire igitur tibi licet Naüsistrata.

Na. sic pol commodius esse in omnes arbitror, quam ut coeperas,

Manere hanc: nam perliberalis uisa est, cū uidi, mihi,

De. Quid istuc negocij est? Ch. iam ne operuit ostium? De. iam. Ch. o Iupiter,

Dij nos respiciunt: gnata inueni nuptam cum tuo filio. De. hem,

Quo pacto id potuit? Ch. non satis tutus est ad narrandum hic locus.

De. At tu intro abi. Ch. heus, ne filij nostri quidem hoc resciscant, uolo.

ACTVS QVINTI SCENA IIII.

A N T I P H O.

An. AEtū sum, ut ut meæ res sese habent, fratri obtigisse quod uolt.

Quam scitum est, eiusmodi parare in animo cupiditates,

Quas, cum res aduersæ sient, paulo mederi possis.

Hic simul argentum repperit, cura sese expediuit:

Ego nullo possum remedio me euoluere ex his turbis,

Quin, si hoc celetur, in metu; sin patefit, in probro sim.

Neque me domū nūc recipere, ni mihi esset spes ostensa

Q 4 Huiusce



PHORMIO

Huiusce habenda. sed ubinā Getā inuenire possum, ut  
Rogem, quod tempus conueniendi patris me capere in-  
beat?

ACTVS QVINTI SCENA V.

PHORMIO, ANTIPHO.

Ph. Argentum accepi, tradidi lenoni: abduxi  
a mulierem:

Curavi, propria ea Phædria ut poteretur.  
nam emissa est manu:

Nunc una res mihi etiam restat, quæ est conficienda,  
ocium

A senibus ad potandum ut habeam: nam aliquot hos  
sumam dies.

An. sed phormio est: quid ais? Ph. quid? An. quidnam  
nunc facturum Phædria?

Quo pacto satietatem amoris ait se uelle sumere?

Ph. vicissim partes tuas acturus est. An. quas? Ph. ut su-  
gitet patrem:

Te suam rogauit rursus ut ageres causam, ut pro se  
diceres:

Nā potaturus est apud me: ego me ire senibus sunium  
Dicam ad mercatum, ancillulam emptum, quam du-  
dum dixit Geta;

Ne, cum hic non uideant me, conficere credant argen-  
tum suum.

Sed ostium concrepuit abs te. An. uide, quis egredie-  
tur. Ph. Geta est.

ACTVS